

*tibi exempla quibus ad veram virtutem exciteris abunde suppetant, hic saltem externa ob oculos Tibi posita videre, ad ea Te quod jam facis componere, & ita in optimum fortissimum sapientissimumque Principem possis euadere. Vale, Princeps Serenissime, & nos amare non desinas. Scribebam Argentinae, Kalend. April. MDCLXXI.,*

Forte non iniucundum erit lectoribus heic inuenisse, ex quo discant, paterno hoc atque fraterno in litteras studio, accensum etiam fuisse Ser. Principem ANTONIVM VLRICVM, quem eximie in litteris eruditum fuisse *Pregizerus* testatur, Tabula Genealogica XXIV. jam jam excitata. Seruatur sc. in Museo Ducali aliud *Patini* opus, de *Numis Familiarum Romanorum*, olim Bibliothecae Ser. FRIDERICI AVGVSTI membrum, cuius ipsius manu inscriptum adhuc cernitur nomen illustrissimum. Folio vero primo inscripta leguntur verba sequentia: *Dnus. Frater Fridericus Augustus dedit mihi hunc librum, Antonius Vlricus, Dux Wirtembergiae. 10. Jan. 1677.,* Nolim praecipere, quae per se ipsi lectores colligant ex istis. Pergam ad alia de numophylacio nostro testimonia. Non oblitus est vtriusque thesauri, cum *Stutgardiani*, tum huius *Neostadiani*, I. *Groening*, V. I. D. auctor libelli, qui titulo: *das geoeffnete Münz-Cabinet*, Anno 1700. Hamburgi typis est vulgatus.